Clarissimo Viro ac Domino Louis

Petrus Mª Piaccina

Adideo te interpellare vir clarissime, ut si quas a curis gravioribus horas recidere queas, earum quidpiam in observationibus hisce meis, cursim saltem legendis impendas: Ad virum sapientem eas dirigere, non eo sané animo constitui, ut cupiditati glorię indulgerem, aut laudem expiscarer, sed ut iudicium consequi possem, cui mihi statim sit acquiescendum.

Ille tu mihi es prę cęteris, cuius sententię, atque auttoritati chirurgicę subijci res debent, animo ad acquiescendum comparato. Age quęso, et observationum mearum primitias, si per tua graviora studia licet, expende. Si quid in his tibi occurrat sententia tua dignum, quod Academię monumentis inseratur, scito validissimum ad hęc studia incitamentum id mihi futurum; sin minus, eadem persequi non idcirco desinam, sed accuratius rerum, maturius, ac diuturnius examen ineundum mihi esse inteligam, prius quam tuo eas iudicio subijciam. Vale et addictissimum tibi me esse pro certo firmissime habeto

Romę Pridie idus Iulij 1769